



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Figuræ, & Symbola, ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

flammeis ignitionibus succenditur. Sic Acedia omni tentationum impulsui facile aperitur. & cedit: nam omnium cogitationum, & tentationum sentina, est otium. Joannes à S. Germaniano de exempl. & rer. similit. l. 1. c. 2.

§. II.

Alia de Acedia.

Acedia est diffidentia de propriis viribus cum auxilio Dei implendi ardua. Ab hac quisquis fuerit corde possessus, veluti defunctus, quodam insensibilitatis aggere agnoscitur esse sepultus. S. Laurentius Justinianus l. 1. de spir. animæ interitu.

Acedia est tadium mentis in bonum; nausea spiritualis, & intellectualis boni; stomachatio cibi vivificantis animam; sentina foetens navigantis vitæ; apertum ostium ad ingredientes iniquitates; pondus sensualitatis deprimens; odium activorum; aspera responsio ad excitantes. *Va!* clamat ad Missam, *euge!* ad mensam; hospitium peregrinantium malorum; secessus procerum infernalium. Hæc sedens in cathedra malæ quietis, & cella deliciarum, Deo vocanti non respondet, Angelo excitanti non consentit, adveniendi virtuti non assurgit, salubriter consulenti non credit, duci recte ducenti non obedit, collegam activum repellit, aut odit; consimilem amplectatur, & diligit. *Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo astate; & non dabitur illi.* Prov. 20. 4. Cogetur mendicare in æstate decoquentis Judicii, seu in claritate Sanctorum. Sed non dabitur ei de laboribus aliorum, ut refocillet animam suam; neque de aliorum victoria suscipiet ille coronam. Sed nec justificabitur de justitia in labore agentium vitam suam: nam scriptura dicit: *juxta opera manuum suarum retribuetur ei.* Prov. 14. 12. Et alibi: *dote ei de fructu manuum suarum.* Prov. 31. 31. non alienarum; & *laudent eum in portis operum ejus*, non aliorum. Simon Cals. l. 8. c. 49.

Acediosi in aula diaboli habent officinam Camerariorum; otium pulvinar diaboli. In

hoc differt dominium diaboli ab aliis; quia nemo vult servos otiosos solus dæmon. Item sunt vasa vacua in cellario diaboli, apta quovis repleti vitio. Diabolus illorum medicus &c. Joannes de Broymard summa Prædicantium. Acediosi.

§. III.

Acediam vitandi motiva, & amuleta.

Subcinericius panis, 3. Reg. 19. 6. cibus optimus est contra Acediam. Panis subcinericius, est memoria mortis; quæ multum reficit animam contra Acediam: incutit enim timorem; timor verò sollicitudinem operatur; sollicitudo torporem excitat. Hugo Card. hîc.

Sedentes in tenebris & umbrâ mortis. Pf. 106. 10. Sedere accipitur in Scriptura, pro ignavum esse, & voluptatibus deditum. Ignaviam locus ille significat. S. Nilus lib. ascetico.

Dixi ego in corde meo. Ecclæ. 1. 1. Id est, in hanc considerationem deveni, propter spirituales in considerando afflictionem. Unde verbum est non Sapientiæ sed Acediæ; quæ non inveniens quietem interiùs, quærit exteriùs. *Dixi igitur; vadam; & affluam deliciis.* S. Bonaventura hîc.

Osculabatur pedes ejus, & unguentò ungebat. Luc. 7. 38. Ideo unguentò ungebat Domini pedes, & innovabat opera novi cultûs; quia novum hominem noverat, & variabat opera; nè velut otiosa pateretur ab ipso repulsam. Quia nec standum est otiosè ante divinos pedes, qui non quieverunt in opere nostræ salutis; sed per montes, & planities; civitates, & castella; per maria, & deserta, fecere discursum; donec confingerentur in cruce, ad expectandum omnem peccatricem animam. Simon Cals. l. 8. c. 40.

Acediosi semper verberantur à dæmonibus sine quiete. S. Vincentius Ferrerius Dom. 17. post Trinit. serm. 2.

Vide plura Labor. Otium, Tepiditas. Peccata capitalia.

TITULUS II. ADULATIO.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Fac mihi pulmentum, sicut velle me nosti. Gen. 27. 4. Adulatorum hæc cura maxima est; ita dicere, ita facere; uti velle norunt dominos. Jam scitur, quid velint domini: *loquimini*, sicut Isaïa 30. 10.

nobis placentia. Jeremias Drexelius Orb. Phaët. de adulat. c. 1. §. 2.

Fili, si se lactaverint peccatores &c. Prov. 1. 10. Adulatorum titulus nutrices diaboli sunt. Gerulæ cunas agitant, canunt; quò citius, & suavius, infantem sopiant. Sic adultores malignò cantu, laudibus, approbatione, in soporem dant eos, quos blandis verbis velut in cunas condunt. Drexelius Orb. Phaët. c. 1. de adul. §. 1.

Ris-

Resonans de altissimis montibus echo. Sap. 17. 18. Echo, te loquente, loquitur; te canente, canit; & ridente ridet; flente, fleret. sic adulator: transformant se velut chameleontes in omnes colores, quibus appropinquant. Didacus Stella de cont. van. Mundi p. 2. c. 74.

Va, qui consuunt pulvillus &c. Ezech. 13. 18. Quisquis male agentibus adulatur, pulvillum sub capite, vel cubito, jacentis ponit: ut, qui corripit ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. S. Gregorius mor. l. 18. c. 4.

Oleum in Ægyptum ferebat. Oleea 12. 1. malignorum spirituum voluntatem faciendo, & imperio Mundi hujus adulando; ita ut diceret: *non habemus regem, nisi Cæsarem.* Oleum namque interdum adulationis significat suavitatem; ut Pl. 140. 5. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* S. Rupertus in Oleea 12. lib. 5.

EX NOVO.

Relictis retibus secuti sunt. Matth. 4. 20. Quadruplex rete vitandum. Primum divitiarum sæculares. Secundum mala mulier. *Congregavit in rete suam.* Habac. 1. 15. S. Bernardus de sorore sua ante conversionem dixit, esse rete diaboli. Tertium adulator, amicus proditor. *Homo, qui blandis &c.* Prov. 29. 5. Quartum ultio divina. *Expandam super eos rete meum.* Oleea 7. 12. S. Thomas Aquin. in festo S. Andrea.

Volucres cæli comederunt ea. Matth. 13. 4. Cantant aviculæ, cantant adultores: rapiunt aviculæ, quod terris mandatum, semen; furantur adultores, quidquid bonæ mentis homo fecit. Idem *Hildebertus monet viduam* ep. 41. si volucres te demulcent, frustra feminas adversus tam pestilentes cantus. Si sapias, obsurdesces. Lucas de Velloso in Judith. l. 2. Paræn. 2.

Ita potius ad vendentes &c. Matth. 25. 9. Venditores olei, adultores sunt: qui enim, accepta quâlibet gratiâ, vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt. S. Gregor. mor. hom. 12. in Evang. Virgines ergo somno deditæ, ut vigilantibus præmia rapiant, adulationis oleum exoptant: fatuæ quidem, quæ de assentationis pretio celeste præmium mereri gestierunt. Sed non adeo fatuæ; ut adulationis valorem apud Sæculum nesciverint. Emmanuel de Naxera in Josue 9. §. 19.

Gloria nostra hæc est &c. 2. Corinth. 1. 12. Hoc enim est, oleum ferre secum; non à vendentibus emere, hoc est ab adulantibus. Adultores namque laudem suam, tanquam oleum, venditant stultis. De hoc oleo dicitur in Pl. 140. 5. emendabit me justus in misericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum. Elegit à justo misericorditer reprehendi,

& quodammodo colaphizari; quam ut ei caput in superbiam cresecat, peccatoris adulatione laudari. Irridentium quippe responsio mihi videtur; cum eis à sapientibus virginibus dicitur: *ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Matth. 25. 9. S. Augustinus ep. 120.

EX PATRIBUS, & ALIIS.

Quid aliud est adulatio? quam astri nascentis aura lucida, septentrionalis procella, melodia Syrenica, cantatio lethifera, fallacia fistula, & vox hyenæ valde mendax. S. Cyrillus Jerosol. Apolog. l. 2. c. 27.

Est adulator quasi Syrena diaboli, trahens in exitium audientes. Hugo Card. in Prov. 6. Cum aliquâ re indigemus, abjectâ animi fortitudine, quâ in rebus angustis, & asperis, uti debebamus. More canum, qui caudæ motu blandiore ossa, eaque etiam sine carne; aut panis micæ, projicientibus adulantur, ad divites accurrimus; eosque, ut, quod cupimus, impetremus; bene meritos, & Christianorum patronos, appellamus; omnesque illis virtutes inesse, dicimus; quamvis in summa vitiorum fœditate voluntur. S. Nilus lib. ascet.

Adultores locustæ comparantur: quæ una fuit ex plagis, quibus Deus Ægyptum flagellavit. Locustæ hyeme non apparent; nec etiam, ubi cibus non reperitur, at in vere, cum fruges abundant: sic adultores non in domibus pauperum, sed divitum. Philippus Diez tom. 1. Summa Prædic. Adulatio.

Adultores comparantur etiam speculis; quæ in se rem repræsentant, sicut illis obicitur: ita adultores ridet, te ridente, plorante plorant. Si loqueris, verba tua magnificant; si taces, silentium approbant: præposterò tamen, & inversò, ordine instar speculorum. Nam, si faciem Occidentem versus habes; speculum Orientem versus repræsentat: sic adultores res tuas præposterè repræsentant: eorum enim intentum non est, te laudare; sed à te commodum educere. Idem ibidem. Simia, cum nec domum possit servare, ut canis; nec onus vehere, sicut equus; nec arare, ut boves; risum movet, & parasitat. Sic adulator, cum in feriis, & gravibus, rebus nesciat esse usui, volupratum minister est. Plutarchus in Moralibus. apud, Diez. Adulatio.

Adultores sunt Sacerdotes Infernales; qui incipiunt à *Placebo vespere* mortuorum in peccatis; quos in peccatis sepeliunt. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Ps. 5. 11. Sunt Judas, Joab. Sunt venatores diaboli: venator volens capere lupum, cooperit foveam; ita isti cooperiunt foveam peccati, & Inferni. Joannes de Broymard summa Prædicantium. Adulatio.

Tineæ sunt adulatores: sed depexas tunicas, rugulos saccos, & sordida palliola, vix infestant: Sericas, pretiosas, togas occupant: cibus eorum electus. Drexelius Orb. Phaet. c. 1. de adul. §. 1. Etiam diabolus, Dei simia, extremam unctionem habet, adulationem: hæc inungit, non tantum morituros, sed & mortuos! Idem ibidem.

Adulatores figuli sunt, sed mendaciorum. Sciunt hi lutum suum omnigenis coloribus inducere; ut non lutum videatur, sed gemma. Sciunt illi ollas suas incrustare pictis, ac nitidis, verbis; nigra in candida vertunt. Idem ibidem §. 3.

Adulator cocus est, & talis; qui id solum spectat, ut cibus sapiat: proficit, an obfit, hoc ipse non curat. Ori coquit, & palato; non capiti, stomacho, hepati. Ideo thecam aromaticam toties exhaurit, tantum croci, piperis, zinziberis, mellis, & sachari insumit: varia miscet, valetudini minime profutura: modo sapiat edulium, & quomodocumque digeratur. Tales sunt omnes illi Placentini coci; qui in tanta sermonum, velut eduliorum, varietate hoc unum attendunt; ut dominicum palatum mulceant. At verò amicus sincerus unam observat veritatem; & uti medicus, fideliter monet: hic cibus nocet; hic nimis nutrit; ille plus æquo pinguis est; ille ægrè digeritur; hic inflamat; hic nimis refrigerat. Idem ibidem c. 2. §. 4.

Litera b variè collocata. b. 9. p. 9. Lemna: Eadem non eadem. Picinelli.

§. II.

Exempla adulatorum.

Ex Veteri.

Obiit (Jacob) flevitque eum *Aegyptus* septuaginta diebus. Gen. 50. 3. Obiit & Joseph, teste Moyse Gen. 50. 25. mortuus est & conditus aromaribus repositus est in oculo in *Agypto*. Cur Joseph non æquè, imò magis, plangitur, populi in fame pater? Respondet Oleaster: Jacobi exequias, vivente Josepho Pro-Rege, celebratas cum planctu ab *Agyptiis* ex adulatione; Josephi minime. Antonius de Escobar t. 3. Colloqu. Chr. lib. 3. sect. 1. Obi. 5.

Tollite in manibus cibaria. & occurrere eis, & dicite: servi vestri sumus, sedus in te nobiscum. Josue 9. 11. Adulatione pulsant; ut pacem impetrent: munera offerunt: ut se dignos adstruant amicitia. Nec falluntur: susceperunt de cibariis eorum; fecitque cum eis Josue pacem. Naxera hic.

Abiit cum eo pars exercitus. 1. Reg. 10. 26. Vide, quam fallax sit popularis aura. Paulò antè clamavit omnis populus: Vivat Rex. c. 25. nunc una tantum pars præeuntem sequitur, adulantur omnes, sequuntur pauci: ad laudem proni; ad laborem pigri. Franciscus Mendoza hic.

Nunquid omnibus vobis dabit filius *Issai* agros, & vineas? 1. Reg. 22. 7. Erat David in Saulis ore filius *Issai*, homo sortis abjectæ. Quid Doegus adulator? voce patri regem mulcet: vidi filium *Issai*. Abulensis q. 17. in hoc erat Doeg, adulator: nam, cum vidisset, quòd Saul dedignabatur vocare eum nomine propriò; ipse quoque, ut regi faveret, non nominavit David, sed filium *Issai*. Velloso in Judith 2.

Ascende, & dabit eam Dominus in manu regis. 3. Reg. 22. 6. ardet Achabus furore urbis rapiendæ, quam Syrus occupaverat, idque exponit apud aulae principes: an ignoratis quod nostra sit Ramoth? Ne tamen sine consilio res tentaretur; evocantur ab Achabo in aulam Baal Sacerdotes; à quibus responsum est: ascende &c. Abulens. q. 8. Mali Prophetæ erant adulatores: ideò, cum scirent, quòd rex desideraret ire in Ramoth; prænuñtiaverunt, quòd bonum erat ire. Sylveira l. 8. JESU alapa in Joan. 18. Rex Hebr. Achab. 850. viros habuit; qui Prophetæ, seu Theologi, videri volebant; reipla omnes regis adulatores. Quadringentos ex his Achab in consilium adhibuit, quæsitq;: num susceptum bellum videretur æquum? æquissimum, omnes respondebant; quin & victoriam audacissimè promittebant. Ascende &c. Unicus Michæas huic tanto adulatorum agmini constanter contradixit. Quantò magis illi clamabant, ascende, vinces; tantò magis suadebat ipse, quiesce, vincis, quiesce. Sed potentior fuit vox adulatorum. Michæas, pro sincero consilio pessimam gratiam tulit: ego odi eum, ait Achabus, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. v. 8. Huic gratiæ accesserunt colaphus, & carcer. v. 27. Drexelius Orb. Phaet. c. 1. de adul. §. 4.

Nabuchodonosor juravit quòd defenderet se. Judith 1. 12. Quid simiæ adulatores? sermonem è sermone formant: factum est verbum in domo Nabuchodonosor, ut defenderet se Velloso hic.

Quod dictum, cum placuisset omnibus &c. Judith 2. 4. Mera, & mira, consultorum adulatio: cum scirent, regem temerè, & injustè agere; non esse vel unum in Senatu, qui eum à nefario bello dehortetur. Placet omnibus, & senibus, & Ducibus; quidquid à Rege propositum est; sive jure, sive injuriâ, patrandum. Idem hic.

Ex Novo.

Audiens Herodes turbatus est, & omnis *Jerusalem* cum illo. Matth. 2. 3. Senatus, Hebræusque populus, metum mentitur, animique tumultum. Anselmus: volens illi favere, quem timebat. q. d. metuebat populus, nè reus ageretur læso majestatis; si vulgum ex Herodis vultu non fingeret; nec timere videretur, cum timeret Herodes, Velloso in Judith 2. Adoravit eum; & clamans